



Disputatio juridica inauguralis de finium regundorum actione

<https://hdl.handle.net/1874/341841>

13

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
Finium Regundorum Actione,

QUAM
FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in utroque JURE honoribus, & Privilegiis ritè,
ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

HERMANNUS TOBIAS, ZWOLLA. TRANSISUL,

Ad diem 29. Junii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō lcc Lxxxvi.

Spectatissimo & integerrimo VIRO

D. GUILIELMO TOBIÆ,
viro consulari Reipublicæ Zwollanæ
parenti meo, filiali amore semper vene-
rando.

NEC NON

D. JOANNI TOBIÆ, } Fratribus meis,
Mercatori vigilantissimo. } fraterna charita-
D. LUBERTO TOBIÆ. } te nunquam non
amando.

U T E T

Clarissimo eruditissimoque VIRO

D. JOANNI VOET, J.U.D.
ejusdemque facultatis in almo Leydenfi
Lycæo antecessori ordinario, studiorum
meorum fundatori vigilantissimo ea pro-
pter omni honore afficiendo, hoc tem-
pore Rectori Magnifico.

Hæc Theses benigno animo humillime dedico

HERMANNUS TOBIAS.

Auct. & Resp.

PROOEMIUM.



Cio homines quos arrogantiae audaciaeque neque tædeat neque pudeat, qui, antequam ab alio quid capere aut doceri vellent, superbia (mater imprudentiae impudentiaeque) elati rudes se velle potius mori jactant, quos revera magis nomine quam re homines censeo, cum inventis frugibus glande vesci cupiant: sed talis arrogantiae merito diceris insanum aut furore suae tenuitatis elatum, quasi fidens suo debili ingenio praecclarum existimat nunquam silere quod fatuitatis est; nam ad quemcunque sermonem si respondeat vel hallucinatur vel affirmatio vel negatio ipsi inconjectura est: quia assentiendo rei quam non percipimus saepe fallimur, aut casu inveritatem incidimus, & tamen non observata temperantiae regula, ad omnem sermonem audacem linguam habere desudant, sicut audax imprudentia ipsi ingenii loco esse putet, quod proprium arrogantibus priorum vitiorum oblivisci aliorum cernere: sed tacere consultius saepe illis esset, nam silentium ubi loquendi tempus non est sapientiae signum, nec iis, quæ nos saepe decipere plus fidendum, ne inconsulta ratio destruat sermonem, cum ista, quæ vix capit, facile decidit, qui expers scientiæ, cum quisquiliis profereundo alium deridendi causa, ipse saepe derideatur. Quod miserum. Contra sunt, qui fere omnia capiunt, tamen gestiunt & ab infante doceri, hi cum arrogantes non sunt, etsi ingenii sagacissimi, qualis natura eruditus inest, qui turpe ducunt non scire ea, in quibus ex-

cellere pulchrum est : pulchris rebus invitamenta in-
sunt , quæ movent ad apicem doctrinæ quærendam.
Doctrina enim res secundas adornat adversas adjuvat.
Ea propter merito autumo , illos doctos dici , qui discen-
di docendique causa aliorum scripta perlegunt ; cum si-
ne litterarum lumine omnis scientia intenbris esset , &
facta heroum laterent , sicque honos alit artes. Scio me
pro viribus modum excessisse & multum in verba magi-
stri jurasse ; ast non ignoro neminem satis honeste ac sine
invidia loqui posse , & natura nihil tam alte posuit ,
quin virtus non possit eniti. Sed ne intotum à scopo er-
rem , ideo , qua de re mihi dissertatio erit , compendium
dicam pro more eorum , qui doctorum numero adscribi ap-
petent : sicque post varias vacillationes incidi in pul-
cherrimam de finibus regundis materiam , quæ mihi
arrisit tum ob excellentiam tum ob utilitatem , quæ
magna & justa causa in repub. est , quia eorum recta
constitutio plurima civilia & publica dissidia tollit unde
Ovid 2. Fast.

Tu populos , urbesque , & regna ingentia finis :
Omnis erat sine te litigiosus ager

Virg. 12. Aeneid.

Limes agro positus litem ut discerneret arvis.
Cum confusio limitum tribunal litibus , regna bellis im-
plet , quia ejusdem rei duo domini esse nequeunt , magis
quam mundus duobus solibus regi , parem in regno nemo
patitur : ideo merito tam in pand. quam in cod. hanc
materiam plene descripsit , ne quis , quod suum non esset ,
facile peteret per confusionem , nam quo plura habent ,
ea , quæ non habent , acrius cupiunt , sic recte avari-
tiae occurritur per l. 4. cod. h. t. quia possessio haud
diuturna quam gladio nanciscimur , sic ne vi pollens om-
ne haberet leges latæ , quæ quemque subditum obedi-
entem tenent , rationem vide l. 22. ff. leg. DIS-



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

Finium Regundorum Actione.

T H E S I S I.



opus explicaturis conducit præmittere verborum significationes & definitiones, de quibus disputare proposuit quam methodum Paulus notat in l. 1. ff. *dal. mal. & met. exc.* In paucis hic originem, vim & definitionem explicabo: finis regere dicitur quoties quis propriis terminis agrum suum discernit, & finium terminandorum cura Romani Deo Terminò demandavere, qui lapides terminales idest finiales ponebat *Rosin. antiq. l. 2 c. 20.* Finis etymologia a fune deducitur, quo agros olim circumscribebantur & metiebantur, & finis pro definitione in l. 223. *verb. sign.* pro modo in l. 25. ff. *adimend. legat.* pro exitu l. 5. ff. *pro suo* pro termino l. 18. §. 3. ff. *acquir. poss. l. 16. §. 1. ff. usu & hab.* sicque hic sumitur, sed proprie est omnis rei extremitas, quæ hic spacio quinque pedum venit l. 5. *Cod. b. t.* & regere est discernere vel ad suam normam redigere, & quod dicitur regundorum pro regendorem, hoc non infrequens JCtis ut u pro e ponerent ut erciscundæ &c.

I I.

Actio finium regundorum (quæ finalis quæstio in l. 11. ff. l. 6. Cod. h. t. dicitur & iurgium l. 5. Cod. h. t.) est civilis (ex LL. XII. tabb. l. ult. ff. h. t. arg. l. 8. ser. v. præd. rust.) stricti juris duplex mixta competens confini adversus confinem de spacio quinque pedum seu de finibus discernendis & ut alter alteri præstet quod eo nomine oportet: dico stricti juris quoniam non reperitur inter b. f. judicia in §. 28. Inst. Act. & non annumeratur divisorii in Inst. tit. obl. quæ ex q. contr. cum in illis quodammodo societas est, quia ibi non adjudicatur quod meum fuit, sed quod adjudicatione meum fit, & hic quod habui aufertur, vel quod non habeo adjudicatione meo accedit, quod necessitas litis sedandæ exigit, & fructus hic veniunt post litem contestatam l. 4. §. 2. ff. h. t. quod est de natura stricti juris iudicii l. 38. §. 7. ff. usur. insuper est duplex quia uterque actor & reus est l. 10. ff. h. t. l. 44. §. 4. ff. famerc. sed is plerumque actoris vices obtinet; qui primus provocat, si concurrant fors actorem monstrabit l. 13. 14. ff. judic.

I I I.

Mixta dicitur, quas dari dicitur §. 20. Inst. act. l. 25. §. 18. ff. hered. petit. & quadruplices sunt, ex re & pœna §. 16. Inst. act. ex facto & re ut in rem scriptæ l. 9. §. 8. ff. quod met. caus. l. 3. §. 3. ff. ad exhib. vel quod uterque actor & reus est l. 37. §. 1. ff. verb. obl. vel in rem & personam §. 20. inst. act. h. t. quæ due posteriores divisiones in hac actione concurrunt, & sic quadrigam actionum mixtarum agnovere veteres, & verbum videntur nullam dubitationem parit cum idem etiam serio sumitur a Triboniano in §. 17. & 30. Inst. act.

2. Et mixtos dari ex eo probatur, quod quædam actiones in rem, quædam in personam sunt, sequitur inde, quod ex, quæ, ex iure in re & ad rem nascuntur, mixtæ sint, cum ex duplici obligatione nascuntur & ex utriusque natura constant.

3. Et

3. Et quidem primario in rem & per consequentiam in personam, cum æque in rem ac in personam nulla actio datur, sed alterius natura semper prævalet, sic hic prius fit divisio rerum seu prædiorum, & postea distributio in personam ratione impensarum vel perceptorum, & hæc actio oritur ex jure domini *l. 8. l. 12. ff. b. t.* & adjudicationes magis rei seu fundo quam personis fit *l. 4. §. 5. ff. b. t. arg. l. 29. ff. comm. div.* cum præstationes demum fiunt cum unius pars est prægravata *l. 2. §. 1. ff. b. t. §. 20. Inst. act.* ex eo quod solus quid perceperit aut fecerit *§. 5. 6. Inst. off. jud.* quæ si non sunt & fines commodè dividi possunt, tantum in rem erit, quia medium ab quod daretur sublatum esset *arg. l. 1. l. 11. ff. comm. div.* vel si fundus alienatus sit utilis datur *arg. l. 9. eod. comm. urr.* id quia in eo pares sunt, sic præstationes abesse & adesse possunt non ipsa res & hæc sententia *Trentleri, Zoësi, Boekelmanni & præceptoris mei Joannis Voet.*

4. Alii aliter ob *l. 1. ff. b. t.* sentiunt ubi dicitur in personam est licet pro rei vindicatione fit, quam legem sic capio, quia mixta est, ideo in personam est licet primario pro rei vindicatione fit, quia prius de dividenda re & tum si non recte divisa ad præstationes personales *l. 22. §. 4. ff. fam. ercisc.* cum mox in *l. 4. §. 5. ff. b. t.* dicitur quod adjudicatio rei fit, & in *l. 8. ff. b. t.* quod oritur ex jure domini, & præstationes abesse possunt non res, ut directa daretur, quidem ut utilis ut in *l. 1. l. 11. ff. comm. div.* similis locutio in *l. 25. §. 18. ff. hered. petit.* quam nemo inficias ibit in rem esse primario *l. 9. ff. l. 7. Cod. hered. petit.*

I V.

Ad hoc judicium duo prædia confinia requiruntur, eorumque finium confusio *§. 8. ff. b. t.* & nihil refert an vectigalia an fructuaria prædia sunt *l. 2. l. 4. §. 9. ff. b. t.* modo non sunt urbana, in quibus confusio non metuenda, quia hæc parietibus distinguuntur, quæ si facta magis confessoria aut negatoria agendum, nisi horti aut olitorii adjacent urbano prædio *l. 4. §. 10. ff. b. t.* ubi per ædificium fines turbantur, non in ædificio *l. 2. pr. in fin. ff. b. t.* & ut in rusticis fiat confusio solis finibus aut rivo privato

8 DISPUTATIO JURIDICA

privato discreta esse debent *l. 6. ff. b. t.* si flumine vel via publica cessat hoc iudicium *l. 4. §. ult. l. 5. ff. b. t.*

V.

Cum nemo invitus in communione manere tenetur *l. ult. ad comm. div.* licet ne recedat pactus sit *l. 14. §. 2. ff. comm. div.* quia communio discordiarum mater *l. 77. §. 20. leg. 2.* ideo datur hæc actio confini ejusque heredi adversus confinem ejusque hæredem, qui si plures sunt pro uno habentur cum hoc iudicium individuum est *l. 48. ff. fam. erc.* vel omnes unum procuratorem constituere debent *l. 42. §. 6. ff. procur.* & apud eundem iudicem, si sepius lis intentetur, agere debent, cum non datur fori privilegium *l. 1. ff. de quib. reb. ad eund. jud. cat. arg. l. 5. Cod. arb. tit.* nec contra tertium non vicinum datur hæc actio *l. 2. ff. term. mot.* nec contra eum qui dolo malo movit *l. 3. ff. cod. l. 1. cod. accus.*

2. Et nihil interest utrum confines directum an utile dominium habent, vel bona fide possident *l. 8. §. 9. ff. b. t.* directi domini directam actionem, utiles utilem habent ad id ut fines turbati restituantur per agrimensorem *l. 8. ff. b. t.* (cujus artis nobilitas eum, excepta tutela *l. 22. ff. excusat. tut.* ab oneribus liberat *l. 2. 3. cod. excus. art.* & advocati instar salarium non mercedem capit *l. 1. ff. si mens. fals. mod. dix.*) qui si ægre poterat iudicis erat novos fines constituere, ad iudicando uni partem, eumque condemnando ad certam summam alteri præstandam *l. 3. ff. b. t. §. 6. Inst. off. jud.* & hæc adjudicatio fundo magis quam domino fit *l. 4. §. 5. ff. b. t.* ne alias sæpe iniqua fieret divisio, secus si pecunia, tum singulis pro rata adjudicatur *arg. §. 4. Inst. aff. jud.* nam hæc ad iudicatio transfert dominium per usucapionem *l. 17. ff. usucap.*

VI.

In hoc iudicio etiam habetur ratio ejus quod interest *l. 4. §. 1. ff. b. t.* & sub interesse hic continetur damnum dolo aut levi culpa datum per alterum confinem, imo & fructuum post litem contestam perceptorum sive exstant sive consumpti sunt *arg. l. 22. Cod.*

Cod. rei vind. quia litis contestatione omnes fiunt malæ fidei possessores *l. 25. §. 7. ff. petit. hered.* secus in ante litem contestatam perceptis, cum bonæ fidei possessores consumptos suos facit exstantes restituit, sed malæ fidei possessor de consumptis tenetur *d. l. 22. Cod. rei vend. l. 4. §. 2. ff. h. t.* Cæterum omnis utilitas & præstationes personales in hoc iudicio veniunt, cum non consensu, sed re confines sunt *l. 29. ff. comm. div. l. 4. §. 5. ff. h. t.* Socio contra socium durante communione non datur hæc actio *l. 4. §. 6. 7. ff. h. t.* quia sic contra se ipsum ageret, secus si communem, vel suum fundum alienaverit *l. 3. §. 2. 3. ff. oper. nov. nunt.*

VII.

Pertinet quoque hæc actio ad distinguendum territorium seu jurisdictionem, ut constet quousque iudex suam potestatem exercere queat in malos homines.

2. Trivialis hinc quæstio delicti in confinio commissi ratione loci oritur; cui sit tribuenda cognitio ejus, ex præsumptione, quæ hic maximum tribunal facit, varii varie sentiunt, quidam cognitionem ei ad scribunt in cujus territorio caput perempti (ut præcipua pars) jacebat *ex l. 44. relig. & sumpt. fun.* quæ lex in his locum non habet, cum in delictis caput ut præcipua pars non consideratur; sed locus delicti inquiritur. Alii in cujus territorio pedes, jacebant, quia ibi stetit videbatur, quæ præsumptio fragilis, cum raro quis uno ictu ita feritur ut nec pedem nec pinnam moveat, sed mox procumbat. Alii ad utrumque cognitionem pertinere censuerunt, non ut ambo agerent, quia sic quis bis sæpe ob idem factum puniretur contra *l. 6. §. 4. ff. nau. camp. prob.* sed ut præventioni locus est, quam opinionem cæteris probabiliorem esse autumo, ex eo quod reus criminis ubique sortitur forum competens *l. 1. cod. ubi. crim. agi. op.* nec asyla, vel ecclesia reum excusat, cum hæc delinquentibus parcere non oportet, quia lapsis non lædentibus prodest

p. 17. cap. 7. junct. N. 37. abrogata l. 6. cod. his qui ad Eccl. hæc si de loco delicti commissi non constat.

3. Ast si de loco commissi delicti constat, licet in alio territorio reus apprehendatur plerumque fit, & ratio suadet, ut ad loci commissi delicti judicem reus puniendus mittatur l. 7. cust. & exhib. reor. arg. l. 3. ff. re mil. cum ibi sæpe probationes clariiores sint *amb. qua in provincia cod. ubi de crim. agi. oport. N. 134. cap. 5.* & pœna etiam magis deterret eos, quos delictum non latet l. 28. §. 15. ff. penis nam ubi delictum ceptum, ibi puniendum arg. l. 30. ff. judic. nec miles in causa delicti habet fori proscriptionem arg. l. 3. ff. re mil. l. cod. ubi senat. vel clar. sin in via publica ad superrorem pertinere ajunt.

V I I I.

Cum multa circa fines observavero, ordo postulat, ut ipsos fines de scribam, fines in hac materia spacio quique pedum veniunt quod liberum ob aratro inter fundos relinquatur l. 5. Cod. h. t. vel ut ibi via esset, vel aratrum verteretur, & hoc spacium ex LL. XII. tabb. usucapioni non erat abnoxium, & hoc diversimode probabatur vel per vetera monumenta castra, montes, maria fossas, sepes &c. vel per liberos censuales l. 11. ff. h. t. vel per testes, qui tamen in contrario minorem fidem quam monumenta vel census faciebant. l. 10. ff. probat. vel per agrimensorem præsentem utraque parte, vel si una aberat tamen fiebat condemnatio & missio in possessionem l. 3. cod. h. t. cum alias nemo absens condemnatur l. 47. ff. re jud. vel per eum qui utriusque fundi dominus fuit l. 12. ff. h. t. vel per ultimos possessores vel per ocularem inspectionem l. 8. §. 1. l. 11. ff. h. t., vel per famam arg. l. 1. §. 1. ff. sum. vel per sententiam arbitri l. 44. ff. recess. & qui arb., sed qui pendente hoc judicio quid usucapere voluit, hoc & tantum de suo amittet, si superatus fuit l. 4. cod. h. t. l. 7. cod. unde vi namquid tibi non vis fieri ne feceris alteri.

2. Quantum spacium inter fossas, arbores, ædificium & fines relinquendum vid. l. ult. ff. h. t. & quod fici & oleæ longius aliis arbori-

boribus a finibus stare debent, ex eo quod radices latius spergunt, & hæc in rusticis prædiis observatur.

I X.

Expositis, qualis, quibus, contra quos, ad quid hæc actio datur, tempus quamdiu durat restat definiendum, quod definire plurimos vexavit, quidam nullo tempore præscribi posse existimarunt ex *l. 5. cod. h. t.* quidam justo tempore id est decem annis inter præsentis viginti inter absentes ex *l. 1. §. 6. l. 7. §. 1. usucap. pro empt.* alii annis triginta ex *l. ult. cod. h. t. & l. 1. §. 1. cod. ann. præscr.* quod probabilius cum sit pro parte personalis, cujus natura est ut triginta annis præscribantur *d. l. 1. §. 1. cod. ann. præscr.* ubi ea ratione nominatim inter eas refertur.

2. Quod *l. 5. cod. h. t.* attinet agit de lege Mamilia & confirmat *ll. XI 1. tabb.* quæ cavebat ne uteretur eo spacio quinque pedum, vel præscriberetur *Cic. l. 1. de legib.* & quia hac judicium est ordinarium, ideo ob rem modicam non dabatur *l. 9. §. ult. l. 10. ff. dol. mal.* vel corrigitur per *l. ult. cod. eod. eodem anno lata.*

3. Ad *l. 2. §. 6. & l. 7. §. 1. pro impt.* levis responsio, ibi non ut fines, sed ut pars fundi usucapiuntur cum fundo, sic ibi accessorium sequitur principale & numeratio annorum hic a dieurbationis facienda *arg. l. 1. cod. ann. except.*

X.

Denique cessat hæc actio, si consensu partium confusi sint, aut super confusionem pacti aut transacti sint *l. 12. ff. h. t. l. 8. cod. comm. ur. jud.* vel consolidatione, si utrumque prædium sub unius dominium venit, vel si agri sint limitati *l. ult. cod. fundi limiti* cum alluvio in illis cessat *l. 1. §. 6. ff. flum.* quia istud certos fines publica autoritate habet; vel si dolo confusi, tum tenetur ex delicto privato olim ex lege Agrario ad quinquaginta aureos, nunc poena pro conditione, personæ arbitraria est *l. 1. l. 3. ff.*

term. mot. & res quoque restituenda l. 4. Cod. l. 4. §. 4. ff. h. t.
nec una aliam tollit, quia unâ rem alterâ pœnam petimus l. 1. Cod.
quand civ. act. crim. non prai. hæc ita pro viribus me scripisse suf-
ficient, si quæ omiffa condonatur mihi, vel suppleat, sic finiam
hifce cum verbis ovid. l. 4. de ponto El. ult.

Scribentem juvat ipse labor minuitque laborem,
Cumque suo crescens pectore fervet opus.

COROLLARIA.

I.

Immobilem possessores jurato cavent.

II.

Cum summum jus saepe summa injuria;
hinc queritur an aequitas stricto juri
preferenda sit affirm.

III. Prin-

I I I.

Princeps legibus Civ. solutus.

I V.

*Non datur in jure casus pro amico,
cum jus non voluntatem sequi de-
beat judex.*

V.

*Convitii veritas non excusat injurian-
tem, nisi detegi Reipubl. intersit.*

V I.

*Venditor non tenetur præcise rem trade-
re, sed præstando interesse liberatur.*

V I I.

*Actio de tigno juncto in duplum contra
bona fide jungentem datur.*

VIII.

*Si soli succedant fratrum filii, patruo
in capita fit successio.*

IX.

*Qui credidit in refectionem navis non
habet legalem hypothecam.*

X.

Usucapio juri naturali conveniens.



Ad



*Ad Doctissimum Generosissimumque
Juvenem*

**D. HERMANNUM
TOBIAM,**

CUM

Omnium applausu J. U. D. crearetur.



*Ffulsit jam læta dies; quo carmine laudes
Possumus egregias accumulare tuas.
Magna paras, præclara paras defendere:
vines
Ingenii salida dexteritate tui.*

*Hæc tua, quam sumis, materia dividit agros,
Dividit & domino prædia quæque suo.
Te Tobia juvat defixo in virgine vultu
Astræa, titulo splendidiore frui.
Defendant alii sedes: & fortia cernant
Prælia tu justî natus ad arma fori.*

Fœlix

Fœlix auspiciū bis senos ferre labores
Hoc opus est : parvis invigilasse parum est.
Conscendes cathedram magnâ cum laude supescet.
Tota cohors linguæ verba diferta tuæ.
Scilicet illud erat : cum lætâ matre cadentem
Excipit in gremio te Themis alma suo :
Cum tua veridicæ cecinerunt tempora Parcæ
Carmine divinis conveniente modis.
Sic Musæ cupiunt proprium te fumere alumnum ;
Cernentes animi singula dona tui.
Tu juvenis spes magna patris : Tu vindice linguâ
Defendes rigidi candida jura fori.
Roma superba tuæ concedet laurea linguæ,
Græciaque in titulos officiosa tuos.
Curia te excipiet, læto plaudente senatu
Spectantes studii pignora vera tui.
Denique fama memor lethi nescia, nomen
Æquabit totâ posteritate tui.

Citis quadrigis posuit.

J. S. H.